



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Georgii Calixti S. Theol. D. Et In Acad. Ivlia Primarii
Professoris Wiederlegung Der vnchristlichen vnd
vnbilligen Verleumbdungen/ damit Jhn D. Iacobus VVeller
ChurSächsischer Oberhoffprediger ...**

Calixt, Georg

Helmstedt

Sanctæ, Catholicæ Et Apostolicæ Ecclesiæ, Eivsque Primorvm
Oecvmenicorum Conciliorvm Symbola Et Confessiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36653

SANCTÆ, CATHOLICÆ
ET APOSTOLICÆ ECCLESIAE, EIVS-
QUE PRIMORVM OECVMENICO-
RVM CONCILIORVM
SYMBOLA ET CON-
FESSIONES.

BENEVOLO LECTORI

S. D.

*Scripti aliquando, benevole Lector, nempe Digressio-
ne de arte novâ & Responso maledicis Moguntinorum
Vindiciis opposito, quæ jam visum est hîc repetere.
Sunt autem illa, quæ subiiciuntur.*

Interrogati quæ fides nostra, quæ doctrina, re-
spondemus eam esse fidem nostram & doctri-
nam nostram, quam complectitur

Symbolum Apostolicum;

Symbolum Nicænum, Constantinopolitanum, ARTICV-
LI FIDEI.

& Athanasianum;

Anathematismi Ephesini;

Confessio Chalcedonensis;

Quæ Nestorianorum & Eutyrianorum reliquiis
Quinta & Sexta synodi opposuerunt;

Quæ item Pelagianis Africana plenaria, sive ut
vocari solet, Milevitana, & Semipelagianis
Arausicana secunda synodus opposuerunt.

Hæc symbola, hæc confessiones & declarationes conti-
nent,

Principi-
um à quo
pendet do-
gmatum
cognitio.

nent, non modò quæ credere, sive quibus fidem & ad-
sensum præbere hominem Christianum oportet, & sine
quibus cognitis atque creditis salvari nequit; sed illis
etiam, qui hæc ipsa docendo tractant & aliis exponunt,
ὡς τὸ πρῶτον ὑγιαίνοντων λόγων, quam teneant, præscribunt.

Quæ autem hisce symbolis, confessionibus & de-
clarationibus comprehenduntur, è Sacra scripturâ hau-
sta sunt: quippe in iis, quæ apertè in Scripturâ po-
sita sunt, inveniuntur illa omnia, quæ continent
fidem, moresque vivendi.

Sacra verò Scriptura θεόπνευστος & completitur
Legem, Prophetas & Psalmos, sive libros, qui
tempore Veteris testamenti linguâ hebræâ scripti
eâdem etiamnum exstant; & libros Novi testa-
menti, græcè editos.

Porro rejicimus & damnamus, quoscunque
prisca ecclesia unanimi consensu rejecit & damna-
vit, Cerinthianos, Gnosticos, Samosatenarios,
Noëtianos, Sabellianos, Novatianos, Arianos,
Pneumatomachos, Nestorianos & Eutychianos
& utrorumque propagines, Marcionitas, Mani-
chæos, Pelagianos, Donatistas, & quibuscumque
tandem nominibus appellentur; quoscunque, in-
quam, prisca universalis ecclesia unanimi consen-
su rejecit & damnavit, eos quoque nos constan-
ter rejicimus & damnamus.

Reliquis autem ubicumque terrarum Chri-
stiano nomine censitis, & superiora credentibus &
profes-

professis si nos actu jungi prohibet sive distantia regionum, sive dissidia Principum, sive aliud obstaculum; jungimur tamen, quocumque tandem orbis loco & angulo sive nos sive illi fuerimus, animo & affectu, reapse eum demonstrare prompti, si aliquâ ratione demonstrandi occasionem offerri contingat.

Fundamentis salvis, diversitatem ut opinionum circa quæstiones juxrà enatas & minùs sive necessarias, sive periculosas, ita quoque rituum & ceremoniarum ferre possumus.

Baptismum credimus esse lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus sancti, omnibus regenerationis indigis, & proinde infantibus etiam recens natis necessarium. SACRAMENTA.

Sanctam Eucharistiam, in quâ Christus Dominus verum suum corpus comedendum, & verum suum sanguinem bibendum præbet, modo quem novit ipse; uti instituit, ita peragimus & participamus.

Illis, qui malè consulti nos iniquis odiis insectantur, convitiis proscindunt, proscribunt & damnant, ignoscimus, & Deum, ut ipse quoque ignoscere & meliorem mentem inspirare velit, serió precamur. MORALIA.

Denique exercemus nos ad conscientiam habendam sine offensâ apud Deum & homines semper.

per. Scimus enim Servatorem nostrum semet-
ipsum pro nobis dedisse, ut redimeret nos ab o-
mni iniquitate, & purificaret sibi populum pecu-
liarem, accensum studio bonorum operum: & e-
os, qui hoc studio seposito membra sua arma inju-
stitiæ præbent, & cupiditates carnis perficiunt,
regni Dei non fore heredes. Operam itaque, quan-
tam ex Dei gratiâ possumus, dandam nobis existi-
mamus, ut pacem sectemur cum omnibus & san-
ctimoniam, sine quâ nemo videbit Dominum.

Hæc est summa nostri Christianismi, cujus si quis
partem rejecerit aut negaverit, (etsi Pontificios, si non
planè omnes, certè plerosque modestiores fore spero,
quàm ut quidquam horum negare, nedum hæreseos ac-
cusare, audeant) Scripturis & consensu antiquitatis
probatam dare teneor, & *σὺν θεῷ παλάμῃ*, dabo.

Quoniam intelligo non omnes in promptu habere
omnia symbola, confessiones & expositiones, qua-
rum superius facta fuit mentio; ideo visum est operæ pre-
cium typis describi, ne cuiquam possit deesse, quod omnes
oportet nosse.

B. L V T H E R V S E D I T I O N I
trium symbolorum præmisit
quæ subjungo.

Tomo vi
Jen. Germ.

Wiewol ich zuvor fast viel vom Glauben gelehret vnd
geschrieben/ was er sey/ was er thue/ auch mein Bekenntniß hab
lassen außgehen/ was ich gläube/ vnd wo ich zu bleiben gedens
cke/ vnd doch der Teufel immer newe Kente wider mich sucht/
hab ich zum Überflus die drey Symbola (die man so nennet)
oder

oder Bekändnis zusammen wollen lassen Deutsch aufgehen?
welche in der ganzen Kirchen bißher gehalten / gelesen vnd ge-
sungen sind / damit ich abermal zeuge / daß ichs mit der rechten
Christlichen Kirchen halte / die solche Symbola oder Bekän-
nis bis daher hat behalten. Das erst Symbolum der Apostel
ist zwar das aller feinst / das kurz vnd richtig die Artikel des
Glaubens gar fein fasset / vnd auch den Kindern vnd albern
leichtlich zu lernen ist.

SYMBOLVM APOSTOLICVM.

Credo in Deum : Patrem omnipotentem, cre-
atorem cœli & terræ. Et in Iesum Christum,
Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Qui
conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Mariâ
virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mor-
tuus, & sepultus, descendit ad inferna, tertiâ die
resurrexit à mortuis, ascendit ad cœlos, sedet ad
dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde ventu-
rus est judicare vivos & mortuos. Credo in Spi-
ritum sanctum : sanctam ecclesiam catholicam,
sanctorum communionem, remissionem pecca-
torum, carnis resurrectionem, & vitam æternam,
Amen.

Hoc igitur est Symbolum, quod Apostolicum appellari
solet, antiquitus etiam *regula fidei* dictum. Nempe religio
Christiana complectitur *Credenda & Agenda*. Credenda dici-
mus ea, per quæ in Deum actus fidei, spei & caritatis or-
dinantur, eatenus interni, & in oculos ac sensus non incur-
rentes. Agenda alia peraguntur secundum jus divinum na-
turale, quod Decalogo continetur: alia secundum jus divi-
num positivum, quo præcipitur & disponitur usus Sacramen-
torum.

torum: alia secundum leges ad publicam honestatem, tranquillitatem & ordinem facientes, tum ecclesiasticas, tum civiles, quibus itidem *neceſſe eſt ſubiecti, non ſolum propter iram ſive pœnam quæ transgreſſoribus imminet, ſed etiam propter conſcientiam, ne videlicet vel Superiores contemni videantur, vel proximus offendatur.* Credenda comprehenduntur Symbolo Apoſtolico, ſimpliciſſimè quidem, & prout cuius homini adulto ad ſalutem ſufficiunt. Inter ea à communi rerum ratione & hominum captu maximè diſcrepant, quòd Deus ſit unus, & ſit tamen Pater, Filius & Spiritus ſanctus; & quòd Deus Filius factus ſit homo. Cæterùm diſcuſſâ difficultate prioris minore negotio ſuperatur difficultas poſterioris. Homo itaque merè idiota & ſimplex, quales plerique ſunt agricolæ, eorumque famuli & ancillæ, & ſine dubio plures etiam alii, utut urbium & oppidorum incolæ, ſi hæreat, jubeatur expendere, Deum eſſe infinitum, res autem omnes alias, nobis obvias & notas, eſſe finitas. Perperam igitur ad harum rationem illum exigi: & merum errorem eſſe, ſi quis de illo admittere nolit, quod in rebus finitis ſibi cognitum non deprehenderit. Iubeatur agnoſcere, quàm infirma ſit mens humana, & quòd ne quidem naturæ rerum infimarum, formicæ vel muſcæ vel tineæ vel teredinis, accuratiùs cognoscendæ ſufficiat, nedum ut quod Deus de ſe credendum proponit, perfectè queat comprehendere & penetrare. Si uberioris explicationis cupidus & capax fuerit, jubebo eum ſymbolum Apoſtolicum juxta phraſin & ductum ſymbolorum Nicæni & Athanaſiani, nec non, quod Filij incarnationem & perſonam attinet, juxta Ephæſinæ & Chalcedonenſis ſynodorum ſententiam, nec alio ullo ſenſu, accipere & intelligere. Quàm immanis igitur eſt calumniæ & impudens mendacium, quod more ſuo de me coram Sereniſſimo Principe & clementiſſimo domino meo CHRISTIANO LUDOVICO effutiit Huſemannus, nempe ex meâ ſententiâ Socinianos, Arianos, Anabaptiſtas, David Georgianos eodem cum Orthodoxis loco habendos eſſe. Omnes enim, inquit, iſta ſectæ profitentur, quod Calixtus requirit.

Præfat.
Dialyſ.
Pag. 107.

Quoni-

Quoniam autem apud Novatores, qui novas opiniones tamquam articulos fidei obtrudunt, & eos, qui rejicere audent, hæreticos criminantur, & damnationi addicunt, tantopere vilescit Symbolum Apostolicum, & de gradu suo, quem à primordiis Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ hucusque tenuit, deturbatur; lubet in gratiam lectoris, quomodo de eo B. Lutherus aliique nostræ partis Theologi hætenus loquuti fuerint censuerintque, adscribere. Sub initium Catechismi majoris in hunc modum loquitur: *In Der alogo, Symbolo Apostolico & Oratione Dominicâ*, in diesen dreyen Stücken ist kürzlich/ gröblich/ vnd auff's einseitigste verfasst/ alles was wir in der Schrift haben/ denn die lieben Väter oder Apostel (wer sie gewesen sind) haben also in eine Summa gestellet/ was der Christen Lehre/ Leben/ Weißheit vnd Kunst sey/ wovon sie reden vnd handeln/ vnd womit sie umgehen. Wenn nun diese drey Stüek gefasset sind/ gehöret sich auch/ daß man wisse zu sagen von unsern Sacramenten/ (so Christus selbst eingesetzt hat) der Tauffe/ vnd des heiligen Leibs vnd Bluts Christi. Idem vom anbeten des Sacraments ad fratres VValdenses, quum recitasset summam Symboli Apostolici, subiungit, Das sind die Hauptstücke Christlichen Glaubens/ welche zur noht gnug sind zur Seligkeit/ vnd ohn dieselben niemand mag selig werden.

Urbanus Regius, qui obiit Cellæ anno superioris seculi XLI, scripsit Catechismum in usum filiorum Principis Ernesti, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis, ad modum dialogi, in quo juniores ipsos Principes introduxit colloquutores. Ille quidem latinè scripsit, sed mihi non est copia nisi germanicæ versionis. Quærit itaque Princeps Fridericus ex fratre suo Francisco Othone: Welches ist Glaub/ oder wie mans nennet/ Symbolum Apostolorum: vnd warumt wirds also genennet? Is respondet: Symbolum Apostolorum, oder das wir den Glauben nennen/ ist in Summa alles das ein Christ fleißiglich glauben sol/ daß wir auch von Jugend auff gelehret sind worden/ Nemlich/ Ich glaub an einen Gott Vater/ der almächtig vnd ein Schöpffer ist Himmels vnd Erden/ &c. Symbolum wird es genennet von dem Griechischen/ daß wie Ruffinus schreibet/ die Aposteln/ che denn sie sich

sich in die Welt das Evangelium zu predigen / zuthenlet haben / erst
 sämptlich übereinkommen vnd einhellig diese kurze Summa der
 Christlichen Lehr verfasst / daß man dabey unterschiedlich bald sehen
 konte / welche Christum recht predigten oder nicht. Notanda quo-
 que sunt in illo opusculo hæc verba: Es ist eine grosse Ursache /
 daß man diesen zunahmen Catholica der Kirchen zugelegt hat /
 mit welchen zunahmen wir verstehen vnd meinen die ganze menge
 aller Heiligen / die eines verstandes vnd einhellig sind in der Lehr des
 Evangelii / wie die von den Apostelen gelehrt ist worden / ob sie schon
 hin vnd wieder in der Welt zustreuet seyn / vnd andere vnd nicht ei-
 nerley Ceremonien haben. Darumb sind wir gnugsam versichere
 für der lesterung vnd beschuldigung einer falschen Kirchen / wenn
 wir das Evangelium nach der Aposteln verstand vnd auflegung rein
 erhalten / vnd auch den rechten brauch der Sacramenten / vnd vns
 im Geist vereinigen mit derselben rechten Kirchen in Asia / Aphyrica /
 Europa / den Insulen des Meers / vnd wo denn solche heilige der
 Kirchen glieder sind.

Iohannes Brentius commentario in LXII cap. Esaia:
*Quum paterfamilias sedet inter liberos suos, & docet eos Symbolum Apo-
 stolicum, sentiamus ibi verè sonare vocem Evangelii, quo Ecclesia &
 conservatur & ad posteros propagatur. Lubet hic ex eisdem homi-
 liâ LXXVII in Lucam nonnulla subicere. Apostoli iussi sunt præ-
 dicare Evangelion de Iesu Christo, videlicet, quod ad consequendam &
 retinendam remissionem peccatorum ac vitam æternam necessarium sit.*
PRIMUM, agnoscere peccata: **DEINDE**, credere quod propter solum
 Christum habeamus remissionem peccatorum: **POSTREMO**, vocati-
 oni & præceptis Dei ex hac fide obedire. *Hæc est summa doctrina Apo-
 stolica, quemadmodum Acta Apostolica, & epistole ab Apostolis scriptæ
 publicè testantur. — Quare, sicut in regno huius visibilis mundi non
 est alius expectandus sol, quam is, qui ante quing. millia annorum il-
 lustravit radiis suis orbem terrarum: ita in regno Dei, quod est Ecclesia
 Domini nostri Iesu Christi, non est aliud doctrina lumen expectandum,
 quam illud, quod iam per Apostolos in totum orbem terrarum sparsum
 est.*

Martinus Chemnitius in Examine Tridentinorum de Tra-
 ditionibus decretorum, quum ex Irenæo Symbolum recita-
 set, sub-

set, subicit: *Hac est vera & vetus Apostolorum traditio, qua nihil tradit extra & prater Scripturam, sed complectitur summam totius Scripturae.* Idem proœmio in expositionem Locorum communium Theologicorum Philippi: *Symbolum, quod rectè vocatur Apostolicum, apud Irenæum & Tertullianum, vetustissimos Ecclesie scriptores honestissimo nomine appellatur CANON & REGULA FIDEI.* Et memorabile est, quod Cyprianus in expositione fidei scribit, Apostolos, cum discessuri essent in universum mundum, summam eius doctrinæ, quam à Christo acceperant, complexos esse paucis aliquot capitibus. Quia enim audierant de lupis sub vestimentis ovium, constituerunt in commune certam normam & regulam prædicationis Apostolicæ, & vocarunt *SYMBOLUM*, consuetudine militari, id est, indicium, per quod agnosceretur is, qui Christum verè secundum Apostolicas regulas prædicaret. *Hac Cyprianus, vel quisquis tandem sit ille, cuius exstat expositio in Symbolum.* Et huc pertinet, quod Irenæus libro tertio, capite quarto, annotavit, quasdam gentes Barbarorum suo ad huc tempore illam solam traditionem Apostolicam sine scripto habuisse. Illi enim, inquit, si quis annuntiaverit, quæ ab hæreticis inventa sunt, statim concludentes aures, longo longius fugiunt, ne audire quidem sustinentes blasphemum colloquium. Vnde autem illi Barbari poterant iudicare, quæ doctrina esset blasphemæ, nisi quia non quadrabat ad normam & regulam doctrinæ Apostolicæ in symbolo expositam?

Nicolaus Sclenecerus in *Padagogiâ Christianâ: Fidei* Pag. 324.
 nostra integra capita & professionem brevibus continet Symbolum Apostolicum, quod nihil aliud est, nisi nota quadam Ecclesia Christi, per quam à reliquo mundo discernitur, estq; professio religionis & fidei Christianæ. Ut enim symbolum militare, quod tessera nominamus, eî signum est signum, quo socii ab hostibus & exploratoribus dignoscuntur; ita symbolum Ecclesia est tessera militum Christi, id est, credentium, per quam se & uni Christo nomina dedisse, & ab aliis omnibus sectis dissentire testantur. Rursus: Certum est in Apostolico symbolo, quod in- Pag. 325.
 terne nostra fidei professio & concordia est, contineri omnia capita totius religionis Christianæ, rectè, perspicuè, & ordine. Nam causas nostræ salutis optimo ordine enumerat, incipiens à primo fonte, & paulatim quasi per gradus progrediens ad finem, qui est vita æterna.

Salomon Gesnerus de Conciliis libro II elenchico, cap. Pag. 527.
 B IV: *Et si*

17: Etsi in Nicano & aliquis quatuor Oecumenicis Conciliis Symbola sunt edita, quaratione formularum nova nuncupari possent, eò quòd nova hereses exorta novis & antea inusitatis vocabulis & loquendi formulis reprimenda fuerunt: nullum tamen novum articulum fidei illa Concilia condiderunt, sed antiquam illam fidem & scriptura canonem ad hereses recenter exortas applicaverunt.

Leonhartus Hutterus Locis communibus, articulo xvi, cap. ii, controversiâ secundâ: Nos Ecclesiæ Symbola non confingimus, sed vetera illa, Apostolicum, Nicanum, Athanasianum, firmiter amplectimur, & quibusvis aliis confessionibus sive symbolicis longe antea ferimus.

Conradus Dietericus Institutionibus catecheticis sub titulo De Symbolo Apostolico: QUID EST SYMBOLUM APOSTOLICUM? Est brevis & summaria omnium Christianæ fidei & religionis articulorum formula, quæ Ecclesiæ eiusque membra se ab aliis sectis discernunt. CUR DICITUR SYMBOLUM? Quia publica hæc fidei professio est indubitata nota, quæ Christiani cognoscuntur, & ab Ecclesiæ hostibus discernuntur. CUR VERO DICITUR APOSTOLICUM? Quia vel summam doctrinam Apostolicam continet, eidemq; tanquam firmissimo fundamento innititur: vel quia Apostoli illud congesserunt, & per manus quasi Ecclesiæ tradiderunt. Dicitur alias Catholicum, quia omnium Christianorum in toto orbe dispersorum est una fides. — Vnum hic nota, esse & post Symbolum Apostolicum symbola alia congesta & in Ecclesiâ recepta, utputa Athanasii, Nicani, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense, quæ à beatis Patribus in Conciliis Oecumenicis Nicææ, Constantinopoli, Ephesi & Chalcedone conscripta: verum hæc non sunt propriè alia à Symbolo Apostolico, sed tantum Apostolici repetitio & declaratio, quæ in aliis alia quadam verba propter hereticos, qui Apostolicum ob concisam brevitatem quoquo modo falsis suis interpretationibus depravabant, plenioris explicationis gratiâ adiecta. Apud quos enim explicatio ne opus est, eam ex Athanasiano & œcumenicis symbolis depromi, hisque conformem esse oportet.

SYMBO.

SYMBOLVM NICAENVM,

cui jungitur Constantino-
politano.

Credo in unum Deum: Patrem omnipoten-
tem, factorem coeli & terræ, visibilium & in-
visibilium.

Et in unum Dominum Iesum Christum, Fi-
lium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante o-
mnia secula: Deum de Deo, lumen de lumine,
Deum verum de Deo vero, genitum non factum,
consubstantialem Patri, per quem omnia facta
sunt. Qui propter nos homines & propter no-
stram salutem descendit de coelis, & incarnatus
est de Spiritu sancto ex Mariâ virgine: & homo
factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pon-
tio Pilato, passus & sepultus est; & resurrexit ter-
tiâ die, secundum Scripturas; & adscendit ad cœ-
los, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus
est in gloriâ, iudicare vivos & mortuos; cuius re-
gni non erit finis.

Et in Spiritum sanctum, Dominum & vivifi-
cantem, qui ex Patre [Filioq;] procedit: qui cum
Patre & Filio simul adoratur & glorificatur: qui
loquutus est per Prophetas. Et unam sanctam ca-
tholicam & apostolicam Ecclesiam. Confiteor u-
num baptisma in remissionem peccatorum: & ex-
specto resurrectionem mortuorum, & vitam ven-
turi seculi, Amen.

B 2

Qui

Qui verò dicunt aliquando fuisse *tempus quoddam*
vel seculum quum non esset, & priusquam generaretur
non fuisse, & factum ex non existentibus *sive ex nihilo*,
aut ex alterâ *præter divinam* substantiâ vel essentiâ, aut
creatum, mutabilem vel variabilem Filium Dei, eos
anathematizat sancta catholica & apostolica ecclesia.

SYMBOLVM ATHANA-
SIANVM.

Q Vicunque vult saluus esse, ante omnia opus
est, ut teneat catholicam fidem. Quam nisi
quisque integram inviolatamq; servaverit, absq;
dubio in æternum peribit. Fides autem catho-
lica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, & Tri-
nitatem in unitate veneremur, neq; confunden-
tes personas, neque substantiam separantes. Alia
est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus
sancti. Sed Patris & Filii & Spiritus sancti una
est divinitas, æqualis gloria, coæterna majestas.
Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.
Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spi-
ritus sanctus. Imensus Pater, imensus Filius,
imensus Spiritus sanctus. Æternus Pater, æter-
nus Filius, æternus Spiritus sanctus: & tamen
non tres æterni, sed unus æternus. Sicut non
tres increati, nec tres immensi: sed unus increa-
tus, & unus imensus. Similiter omnipotens
Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus
sanctus: & tamen non tres omnipotentes, sed u-
nus

aus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius,
Deus Spiritus sanctus: & tamen non tres dii, sed
unus est Deus. Ita Dominus Pater, Dominus
Filius, Dominus Spiritus sanctus: & tamen non
tres domini, sed unus est Dominus. Quia sicut
singulatim unamquamque personam Deum ac
Dominum confiteri Christianâ veritate com-
pellimur; ita tres Deos aut tres Dominos dicere
catholicâ religione prohibemur. Pater à nullo
est factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Pa-
tre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.
Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec
creatus, nec genitus, sed procedens. Vnus ergo
Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Fi-
lii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus san-
cti. Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius,
nihil majus aut minus: sed omnes tres personæ
coæternæ sibi sunt & coæquales ita, ut per om-
nia, sicut jam suprâ dictum est, & Trinitas in u-
nitate, & unitas in Trinitate veneranda sit. Qui
vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut
incarnationem quoque Domini nostri Iesu Chri-
sti fideliter credat. Est ergo fides recta, ut cre-
damus & confiteamur, quod Dominus noster Je-
sus Christus Dei filius, Deus & Homo est. Deus
ex substantiâ Patris ante secula genitus; & homo

ex substantiâ matris in seculo natus. Perfectus
Deus, perfectus homo, ex animâ rationali & hu-
manâ carne subsistens. Æqualis Patri secundum
divinitatem, minor Patre secundum humanita-
tem. Qui licet Deus sit & Homo, non duo ta-
men, sed unus est Christus. Unus autem non
conversione divinitatis in carnem, sed assumptio-
ne humanitatis in Deum. Unus omnino, non
confusione substantiæ, sed unitate personæ. Nam
sicut anima rationalis & caro unus est homo; ita
Deus & Homo, unus est Christus. Qui passus est
pro nostrâ salute, descendit ad inferos, tertiâ die
resurrexit à mortuis, adscendit ad cœlos, sedet
ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde ven-
turus est judicare vivos & mortuos. Ad cuius
adventum omnes homines resurgent cum cor-
poribus suis, & reddituri sunt de factis propriis
rationem: & qui bona egerunt, ibunt in vitam
æternam; qui verò mala, in ignem æternum. Hæc
est fides catholica, quam nisi quisq; fideliter fir-
miterq; crediderit, salvus esse non poterit.

ANATHEMATISMI EPHE-
SINI.

I. Si quis non confitetur Emmanuelem ve-
rum Deum esse; adeoque sanctam virginem, quæ
incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem
peperit, Deiparam esse, anathema sit.

II. Si

II. Si quis Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim sive subsistentiam unitum; aut unum unâ cum suâ carne Christum esse [eundem nimirum Deum simul & Hominem] inficiatus fuerit, anathema sit.

III. Si quis post naturarum unionem subsistentias in uno Christo dividit (*cuique nimirum naturæ suam propriam assignans*) naturasque eâ tantum copulâ connectit, quæ est secundum dignitatem, vel auctoritatem, non autem coitione, quæ sit secundum naturalem sive veram & realem unionem, anathema sit.

IV. Si quis voces illas, quæ in Evangelicis & Apostolicis literis passim occurrunt; aut, quæ de Christo à sanctis, vel ab ipso quoque Christo de se ipso dicuntur, duabus personis vel hypostasibus assignat; & alias quidem homini, tamquam personæ à Dei Patris Verbo sejunctæ accommodat; alias verò tamquam in solum Deum convenientes, soli Dei Patris Verbo adaptat, anathema sit.

V. Si quis dicere audeat, Christum hominem tantum Deiferum, & non potius verum Deum [velut unicum ac naturalem Dei Filium] esse, secundum quod Dei Verbum caro factum est, & similiter ut nos carni & sanguini communicavit, anathema sit.

VI. Si

VI. Si quis Verbum Dei Patris Deum vel Dominum Christi esse dixerit; & non potius Deum simul & hominem illud confessus fuerit; pro ut caro, secundum Scripturas, factum est, anathema sit.

VII. Si quis Iesum tamquam merum hominem per Dei Verbum actum; Unigeniti que gloriam tamquam alteri à se diverso circumdatam dixerit, anathema sit.

VIII. Si quis dicere audet, adsumtum hominem unà cum Dei Verbo, tamquam alterum cum altero, adorandum, & glorificandum, & DEVM appellandum esse; neque unà adoratione Emmanuel honorat, unamq; illi glorificationem, quatenus Verbum caro factum est, destinat, anathema sit.

IX. Si quis unum Dominum nostrum Iesum Christum per Spiritum sanctum, tamquam per virtutem à suâ alienam, glorificatum; aut vim & efficaciam ab eodem accepisse, quâ immundos spiritus profligaret, & alia inter homines miracula patraret, dixerit; neque illum ipsum Spiritum, per quem divina signa edebat, illius proprium existitisse professus fuerit, anathema sit.

X. Confessionis nostræ Pontificem & Apostolum factum esse Christum Scriptura docet: *Obtulit enim semetipsum pro nobis Deo & Patri in odorem*

dorem suavitatis. Si quis igitur non ipsum Dei Patris Verbum, quando caro & homo nobis similis factum est, Pontificem & Apostolum nostrum factum dixerit; sed alterum quempiam diversum ab ipso, puta merum hominem ex muliere natum: aut si quis Christum non pro nobis tantum, sed pro seipso quoque sacrificium obtulisse dixerit [nullam enim oblationem egebat, qui peccatum nullum noverat,] anathema sit.

XI. Si quis Domini carnem vivificam, ipsiusque Verbi, quod ex Deo Patre est, propriam esse negaverit; dixerit autem alterius cuiuspiam esse à Verbo quidem distincti, ipsi nihilominus Verbo secundum dignitatis communicationem uniti: si quis, inquam, dixerit Domini carnem non esse vivificam, eo quod propria est Verbi, quod omnia vivificare potest; sed hominis divinam tantum inhabitationem sortiti, anathema sit.

XII. Si quis non confitetur Dei Verbum passum carne, & crucifixum carne, & mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis secundum quod vita est vivificans ut Deus, anathema sit.

CONFESSIO CHALCEDO- NENSIS.

Sanctos Patres sequuti unum & eundem confitemur Filium, Dominum nostrum Iesum Christum,

sum, & concorditer docemus omnes: perfectum
 in divinitate & eundem perfectum in humanita-
 te: verum Deum & eundem verum hominem ex
 rationali animâ & corpore: coëssentialem Patri
 secundum divinitatem; & coëssentialem nobis
 secundum humanitatem; per omnia nobis simi-
 lem demto peccato: ante secula genitum ex Pa-
 tre secundum divinitatem: postremis verò die-
 bus eundem propter nos & propter nostram salu-
 tem ex Mariâ virgine & deiparâ secundum hu-
 manitatem: unum & eundem Iesum Christum,
 Filium dei, Dominum unigenitum, in duabus
 naturis ἀσυγχύτως, ἀτρέκτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίτως, in-
 confuse, inconvertibiliter, indivulse, insepara-
 biliter manifestatum: hautquaquam differentiâ
 naturarum propter unitatem sublatâ, sed magis
 utriusque naturæ in unam personam & unam hy-
 postasin concurrentis proprietate servatâ: non
 ut in duas personas bipartiatur aut dividatur, sed
 ut sit unus & idem Filius unigenitus, Deus Ver-
 bum & Dominus Iesus Christus: sicut de illo
 Prophetæ olim vaticinati sunt, & ipse nos Chri-
 stus instruxit, & Patrum symbolum nobis tra-
 didit.

*Hæc tenus symbola, anathematismi, confessiones &
 expositiones primorum quatuor œcumenicorum
 conciliorum*

conciliorum, quorum priora duo mysterium trinitatis
personarum in unâ divinâ essentiâ exposuerunt; posteri-
ora verò mysterium incarnationis & unionis personalis.
Quæ duo mysteria sicut totius Christianæ fidei sunt maxi-
ma, ita à captu humano & communi rerum ratione ma-
ximè abeunt, & propterea ab hæresibus maximè oppu-
gnantur, maximisq; difficulcatibus implicantur. Rectè
itaq; B. Lutherus libello de tribus Symbolis superius eti-
am laudato: Ich hab erfahren vnd gemerckt in allen Ge-
schichten der ganzen Christenheit / Daß alle die jenigen / so den
Hauptartikel von Jesu Christo recht gehabt vnd gehalten ha-
ben / sind sein vnd sicher in rechtem Christlichen Glauben blie-
ben / vnd ob sie sonst daneben geirret vnd gesündigt haben / sind
sie doch zu lezt erhalten / denn wer hierin recht vnd fest stehet /
Das Jesus Christus rechter Gott vnd Mensch ist
für vns gestorben vnd auferstanden / dem fallen alle
andere Artikel zu / vnd stehen ihm fest bey / Also gar gewis ist /
das S. Paulus sage / Christus sey das Hauptgut / grund / bo-
den vnd die ganze Summa / zu dem vnd vnter welchem sichs
alles samlet vnd findet.

Quum mos olim esset, ut Patriarchæ recens electi
aliis Patriarchis per datas ad eos canonicas literas sue
p̄p̄d̄ḡas fidem facerent; ad hanc ipsam contestandam
& declarandam professi sunt, se quatuor ista æcumeni-
ca concilia recipere & amplecti. Exemplum illustre in
epistolâ Gregorii primi sive magni ad Iohannem Con-
stantinopolitanum, Eulogium Alexandrinum, Grego-
rium Antiochenum & Iohannem Ierosolymitanum.

Lib. II ep.
84: & l. 2,
ep. 49.

Nov. 13,
cap. 1.

Quia, inquit, corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem; sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor. [*nempe quia summam doctrinae quatuor evangelicis libris comprehensae proponunt: quomodo etiam Iustinianus Imperator: Prædictarum quatuor synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus.*] Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error vincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense verò, in quo Eutychetis Dioscorique pravitas reprobatur, totâ devotione complector, integerrimâ approbatione custodio: quia in his, velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit. ---- Quisquis aliud sapit, anathema sit. Quisquis verò prædictarum synodorum fidem tenet, pax ei sit à Deo Patre per Iesum Christum filium ejus, qui cum eo vivit & regnat consubstantialiter Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia secula seculorum, Amen.

Facit etiam mentionem concilii quinti, quum scribit: Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo epistola, quæ Ibae dicitur, erroris plena reprobatur; in quo Theodorus personam mediato-

diatoris Dei & hominum in duabus substantiis se-
parans, ad impietatis perfidiam cecidisse convin-
citur; & in quo scripta quoque Theodoriti, per
quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu de-
mentiae prolata refutantur. *Hæc sunt tria capitula,*
in quibus quia nonnullis non tam de doctrinâ quàm de
personis agi videbatur, ex hac occasione magnæ in eccle-
siæ enatae sunt turbæ. Quomodo autem hoc œcumenicum
quintum concilium cum Ephesino & Chalcedonensi, quod
doctrinam attinet, conveniat, ex capitulis, quæ edidit,
cognosci potest.

CONSTANTINOPOLITANI SECUNDI

CONCILII, OECUMENICI

QVINTI

CAPITVLA.

I. Si quis non confitetur Patris & Filii & Spiritus
sancti unam naturam sive essentiam, & unam virtutem
& potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam Dei-
tatem in tribus subsistentiis sive personis adorandam,
talis anathema sit. Unus enim Deus & Pater, ex quo o-
mnia; & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia;
& unus Spiritus sanctus, in quo omnia.

II. Si quis non confitetur Dei Verbi duas esse nati-
vitates, unam quidem ante secula ex Patre sine tempore
incorporaliter, alteram verò in ultimis diebus ejusdem,
qui de coelis descendens & incarnatus de sanctâ glorio-
sâ Dei genitrice & semper virgine Mariâ, natus est ex
ipsâ, talis anathema sit.

III. Si quis dicit alium esse Deum Verbum, qui mi-
racula fecit, & alium Christum, qui passus est, vel Deum

Verbum cum Christo esse nato de muliere; vel in ipso
esse ut alterum in altero; & non unum eundemque Do-
minum nostrum Iesum Christum, Dei Verbum incar-
natum, & hominem factum; & ejusdem esse tum mira-
culatum passionem, quas voluntariè carne sustinuit, talis
anathema sit.

IV. Si quis dicit, secundum gratiam, vel secundum
operationem, vel secundum dignitatem, vel secundum
æqualitatem honoris, vel secundum auctoritatem, aut
relationem, aut affectum, aut virtutem, unionem Dei
Verbi ad hominem factam esse, vel secundum bonam
voluntatem, quasi quod placuit Deo Verbo homo, &
quod bene visum est ei de ipso, sicut Theodorus infa-
niens dicit; vel secundum homonymiam, per quam Ne-
storiani Deum Verbum Filium & Christum vocantes,
& hominem separatim Christum & Filium nominan-
tes, & duas personas evidenter dicentes, per solam no-
minationem, & honorem, & dignitatem, & adoratio-
nem, unam personam, & unum Filium, & unum Chri-
stum confingunt dicere: sed non consentiunt unitatem
Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali & in-
tellectuali, secundum compositionem sive secundum
subsistentiam factam esse, sicut sancti patres docuerunt,
& ideo unam ejus subsistentiam compositam, *καὶ ὅτι οὐ
ὁ ὕβερων, id est, unam personam ex & in duabus naturis*, qui est
Dominus noster Iesus Christus, unus de sanctâ Trinita-
te, talis anathema sit.

V. Si quis unam subsistentiam Domini nostri Iesu
Christi sic intelligit, tamquam suscipientem multarum
subsistentiarum significationem, & per hoc introducere
conatur in mysterio Christi duas subsistentias seu duas
personas, & duabus introductis dicit unam personam
secun-

secundum dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodoretus & Nestorius insipientes scripserunt; & calumniatur sanctam Chalcedonensem synodum, tamquam secundum istum impium intellectum unius substantiæ utentem vocabulo: sed non confitetur Dei Verbum carni secundum substantiam unitum esse, & propter hoc unam ejus substantiam seu unam personam, & sic etiam sanctum Chalcedonense concilium unam substantiam Domini nostri Iesu Christi confessum esse, talis anathema sit. Nec enim adjectionem personæ vel substantiæ suscepit sancta Trinitas ex incarnato uno de sanctâ Trinitate Deo Verbo.

VI. Si quis abusive & non verè Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper virginem Mariam, vel secundum relationem, quasi homine puro nato, sed non Deo Verbo incarnato & nato ex ipsâ, referendo autem, sicut illi dicunt, hominis nativitatem ad Deum Verbum, eò quòd cum homine erat nascente: & calumniatur sanctam Chalcedonensem synodum, tamquam secundum istum impium intellectum, quem Theodorus execrandus adinvenit, Dei genitricem virginem diceret; vel qui hominis genitricem vocat aut Christi genitricem, tamquam si Christus Deus non esset, & non propriè & verè Dei genitricem ipsam confitetur, eò quòd ipse, qui ante secula ex Patre natus est Deus Verbum, in ultimis diebus ex ipsâ incarnatus & natus est, & sic piè sanctum quoque Chalcedonense concilium Dei genitricem eam esse confessum, talis anathema sit.

VII. Si quis IN DVABVS NATVRIS dicens, non *hoc sensu vel sine*, quòd in Deitate & humanitate unum Dominum nostrum Iesum Christum cognosci confitetur, ut per hoc significet differentiam naturarum, in quibus
incon-

inconfusè ineffabilis unio facta est, neque Deo Verbo in carnis naturam transmutato, neque carne in Verbi naturam traductâ, (manet enim utrumque hoc quod est natura, etiam factâ unitate secundum subsistentiam) sed pro divisione per partem (*διαπερι ἀνὰ μέρος* & dicunt Græci) sive distrahenda persona ergo talem suscipit & adhibet vocem in mysterio Christi; vel numerum naturarum confitendo in eodem Domino nostro Iesu Christo, Deo Verbo incarnato, intellectu saltem & contemplatione differentiam non concipit & accipit earum, ex quibus compositus est, non interemtam propter unitatem, (unus enim ex utraque, & per unum utraque) sed propterea numero utitur, tamquem seorsim unaquæque natura suam haberet subsistentiam, anathema sit.

IIIX. Si quis ex DVABVS NATVRIS deitatis & humanitatis confessus unionem factam esse; vel unam naturam Dei Verbi incarnatam dicens, non sic ea intelligit, sicut Patres docuerunt, quod ex divinâ naturâ & humanâ, unionem secundum subsistentiam factâ, unus Christus effectus est, sed ex ejusmodi vocibus unam naturam sive substantiam Deitatis & carnis Christi introducere conatur, talis anathema sit. Secundum subsistentiam enim dicentes unigenitum Deum Verbum carni unitum esse, non confusionem aliquam naturarum inter se invicem factam esse dicimus, sed magis permanente utraque hoc quod est, unitum esse carni Deum Verbum intelligimus. Propter quod & unus est Christus, Deus & homo, idem ipse consubstantialis Patri secundum deitatem, & consubstantialis nobis secundum humanitatem. AEqualiter enim & eos qui per partem dividunt, vel incidunt, *vel separant*, & eos qui confundunt divinæ Christi œconomix mysterium, rejicit & anathematizat Dei ecclesia.

IX, Si

IX. Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum, ut duæ adorationes introducantur, seorsim Deo Verbo, & seorsim homini; aut si quis ad interemptionem carnis vel ad confusionem deitatis & humanitatis, unam naturam sive substantiam eorum, quæ conveniunt, introducens, sic adorât Christum, & non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adorât, sicut ab initio sanctæ Dei ecclesiæ traditum est, talis anathema sit.

X. Si quis non confitetur Dominum nostrum Iesum Christum, qui crucifixus est carne, Deum esse verum, & Dominum gloriæ, & unum de sanctâ Trinitate, talis anathema sit.

XI. Si quis non anathematizat Arium, Eunomium, Macedonium, Apollinarium, Nestorium, Eutychen, Origenem cum impiis eorum scriptis, & alios omnes hæreticos, qui condemnati & anathematizati sunt à sanctâ catholicâ & apostolicâ Ecclesiâ, & à prædictis sanctis quatuor Conciliis, & eos qui similia prædictis hæreticis sapuerunt vel sapiunt, & usque ad mortem in suâ impietate permanserunt vel permanent, talis anathema sit.

*Sequuntur capitula, duodecimum de Theodoro Mopsuesteno; decimum tertium de Theodoretis scriptis Cyrillo oppositis; & decimum quartum de Iba Edesseni ad Mar-
rin Persam epistolâ. Quæ sunt tria capitula tantopere
postea exagitata. Nos ea hîc adscribere supersedemus.
Priora verò dedimus juxta codices latinos: nam ab his
græci in serie & numero aliisq; nonnullis alicubi vari-
ant.*

D

CON-

CONSTANTINOPOLITANA
TERTIA SYNODVS, QVAE
sextæ œcumenicæ titulum
gerit,

Nulla sibi propria condidit capitula, sed ad priores synodos provocat, & rem omnem revocat. Profitemur enim Patres & recitant symbola Nicanum & Constantinopolitanum, & addunt se suscipere epistolas Agathonis Papæ Romani, unam ad Constantinum Pogonatium Imperatorem, alteram ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum missas; item tomum Leonis primi sive magni, qui directus fuit ad sanctum Flavianum Constantinopolitanum; quem & titulum rectæ fidei synodus appellavit: item synodicas epistolas Cyrilli contra Nestorium scriptas. Subjungunt: Sequuti quoque sancta quinque universalia concilia, & sanctos atque probatos Patres concorditerque definientes confitemur Dominum nostrum Iesum Christum verum Deum nostrum, unum de sanctâ & consubstantiali & vitæ originem præbente Trinitate, perfectum in deitate, & perfectum eundem in humanitate. Recitant videlicet hinc confessionem Chalcedonensem, & addunt; Duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè secundum sanctorum Patrum doctrinam adæquè prædicamus, & duas naturales voluntates non contrarias, (absit) juxta quod impii asseruerunt hæretici, sed obsequentem ejus humanam voluntatem, & non resistantem vel reluctantem, sed potius subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.

Ex

*Ex epistolâ Agathonis, quam se probare Synodus
testatur, hæc adjicimus.* Hic status est Evangelicæ at-
que Apostolicæ fidei, regularisq[ue] traditio, ut confi-
tentes sanctam & inseparabilem Trinitatem, id est, Pa-
trem & Filium & Sanctum spiritum, unius esse deitatis,
unius naturæ & substantiæ sive essentiæ, unius eam præ-
dicemus & naturalis voluntatis, virtutis, operationis,
dominationis, majestatis, potestatis & gloriæ. Quum
verò de uno earundem trium personarum ipsius sanctæ
Trinitatis, Filio Dei, Deo Verbo, & de mysterio admi-
randæ ejus secundum carnem dispensationis confite-
mur, omnia duplicia unius ejusdemq[ue] Domini salva-
toris nostri Iesu Christi secundum evangelicam traditi-
onem asserimus, id est, duas ejus naturas prædicamus,
divinam scilicet & humanam, ex quibus & in quibus
etiam post admirabilem atque inseparabilem unitio-
nem subsistit. Et unamquamque ejus naturam proprie-
tatem naturalem habere confitemur, & habere divinam
omnia quæ divina sunt, & humanam omnia quæ huma-
na sunt, absque ullo peccatō. Et utrasque unius ejus-
dem Dei Verbi incarnati, id est, humanati, inconfusè,
inseparabiliter, immutabiliter esse cognoscimus, solâ
intelligentiâ (*quia diversitate personarum non distinguuntur*)
quæ unita sunt discernentes, propter confusionis duntaxat errorem. Aequaliter enim & divisionis, & com-
mixtionis detestamur blasphemiam. Quum duas au-
tem naturas duasque naturales voluntates, & duas na-
turales operationes confitemur in uno Domino no-
stro Iesu Christo, non contrarias eas, nec adversas ad
alterutrum dicimus, nec tamquam separatas in dua-
bus personis vel subsistentiis, sed duas dicimus unum
eundemq[ue] Dominum nostrum Iesum Christum sicut

naturas, ita & naturales in se voluntates & operationes habere, divinam scilicet & humanam: divinam quidem voluntatem & operationem habere ex æterno cum co-essentiali Patre communem; humanam, temporaliter ex nobis cum nostrâ naturâ susceptam. Hæc est Apostolica atque Evangelica traditio.

Epistola Leonis ad Flavianum celeberrimam & passim tum in hac sextâ synodo tum alibi laudatam proponit sententiam: Agit utraque forma sive natura cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, & carne exsequente quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit injuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. Unus enim idemque est, quod sæpe dicendum est, verè Dei filius, & verè hominis filius. Deus per id, quòd in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: homo per id, quòd Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Deus per id, quòd omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: homo per id, quòd factus est ex muliere, factus sub lege.

*Hæc Monotheletis, & Nestorianis Eutychianisq;
reliquis sexta œcumenica synodus
opposuit.*



MILE.

MILEVITANI SIVE POTIVS AFRICANI
PLENARI CONGILII CONTRA
PELAGIVM ET CELESTIVM
CAPITVLA.

I. Placuit, ut quicumque dicit Adam primum hominem mortalem factum ita, ut sive peccaret sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret, non peccati merito, sed necessitate naturæ, anathema sit.

II. Item placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expiatur, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis, *in remissionem peccatorum*, non vera, sed falsa intelligatur, anathema sit. * Quoniam non aliter intelligendum est, quod ait Apostolus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt*, nisi quemadmodum ecclesia catholica, ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.

* Adeundem ut puto modum formam baptismatis accipit Augustinus libro I de peccatorum meritis & remissione cap. XXXIV. *Falsa*, inquit, *vel fallax parvulis traderetur baptismatis forma, in qua sonaret, quod utiq, agi videretur; & tamen nulla fieret remissio peccatorum.* Item: *Intuendo Scripturas, & auctoritatem eotius Ecclesie, & formam ipsius sacramenti, bene videntur in parvulis peccatorum fieri remissionem.* Videntur formam baptismatis appellasse ea, quæ in administratione baptismi dicuntur & aguntur,

tur, nempe exorcismos, renunciationes. Cæterum dixit sanctus Petrus Act. II, 38: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum.* Possit igitur etiam videri, quod hæc forma baptismatis significet præcipuum baptismi à Scripturis propositum & indicatum finem sive effectum.

III, Item placuit, ut quicumque dixerit gratiam Dei, quâ justificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, ut non committantur, anathema sit.

IV, Item, quisquis dixerit, eandem gratiam Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit. 1 Cor. 8, 1. Quum enim dicat Apostolus, *Scientia inflat, caritas verò ædificat;* valde impium est, ut credamus ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat, non habere: quum sit utrumque donum Dei, & scire, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus, ut ædificante caritate scientia non possit inflare. Psal. 94, 10. Sicut autem de Deo scriptum est, *Qui docet hominem sci-* 1 Ioh. 4, 7. *entiam;* ita etiam scriptum est, *Caritas ex Deo est,*

V, Item placuit, ut quicumque dixerit, ideo nobis gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam etiam si gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illâ implere divina mandata, anathema sit. De fructibus enim mandato-
rum

rum Dominus loquebatur, ubi non ait, *Sine me difficilius* Ioh. 15. 7. *potestis facere*; sed ait, *Sine me nihil potestis facere*.

VI. Item placuit, quod ait sanctus Iohannes Apostolus, *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*; quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia verè ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adjungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate*. Vbi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere, Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est: sed quum ait, *Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est*, satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed fallum.

VII. Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione Dominicâ ideo dicere sanctos, *Dimitte nobis debita nostra*, ut non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis; qui sunt in suo populo peccatores; & ideo non dicere unumquemque sanctorum, *Dimitte mihi debita mea*, sed, *Dimitte nobis debita nostra*, ut hoc pro aliis potius, quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat Apostolus Iacobus, quum dicebat: *In multis enim offendimus omnes*. Nam quare additum est, *omnes*, nisi ut ista sententia conveniret & psalmo, ubi legitur, *Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens*? Et in oratione sapientissimi Salomonis: *Non est homo qui non peccet*. Et in libro Eccl. 7. 21. *Iob: In manu omnis hominis signat, ut sciat omnis hominis infirmitatem*.

tatem

ratem suam. Vnde etiam Daniel sanctus & iustus, quum
Dan. 9. 5. in oratione pluraliter diceret, *Peccavimus, iniquitatem
fecimus, & cætera,* quæ ibi veraciter & humiliter confi-
retur, ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt,
hæc non de suis, sed de populi sui potius dixisse pecca-
tis, postea dixit: *Quum orarem, & confiterer peccata mea, &
peccata populi mei Domino Deo nostro;* noluit dicere, *peccata
nostra,* sed & populi sui dixit, & sua: quia futuros istos,
qui tam malè intelligerent, tamquam propheta præ-
vidit.

II X. Item placuit, ut quicumque verba ipsa Domi-
nicæ orationis, ubi dicimus, *Dimitte nobis debita nostra,*
ita volunt à sanctis dici, ut humiliter, non veraciter, hoc
dicatur, anathema sit. Quis enim ferat orantem, & non
hominibus, sed ipsi Domino mentientem, qui labiis si-
bi dicit dimitti velle, & corde dicit, quæ sibi dimittan-
tur, se debita non habere? Hucusque de fide contra Pe-
lagianos.

ARAVSICANI SECVNDI CONCILII CONTRA SEMIPELAGIANOS ET MASSILIENSES CA- PITVLA.

I. Si quis per offensam prævaricationis Adæ non
totum (id est, secundum corpus & animam) in deterius
dicit hominem commutatum, sed animæ libertate il-
læsâ durante, corpus tantummodo corruptioni credit
obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scri-
pturæ dicenti: *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et,
Ezech. 18. 20. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, ser-
vi estis eius, cui obeditis?* Et, *A quo quis superatur, ei & ser-
vus addicitur.*

II. Si

II. Si quis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini, asserit nocuisse, aut certè mortem tantum corporis, quæ poena peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti: *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Röm. 5. 12.

III. Si quis per invocationem humanam, gratiam Dei dicit conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur à nobis, contradicit Esaia prophetæ, vel Apostolo idem dicenti: *Inventus sum à non quærentibus me: palàm apparui his, qui me non interrogabant.* Esa 65. 1. Röm. 10. 20.

IV. Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem & operationem in nobis fieri constitetur, resistit ipsi Spiritui sancto, per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas à Domino: & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bonâ voluntate.* Phil. 2. 13.

V. Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui justificat impium, & ad regenerationem baptismatis pervenimus, non per gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, apostolicis dogmatibus adversarius approbatur, beato Paulo dicente: *Confidimus, quia qui cepit in vobis bonum opus, perficiet usque in diem Domini nostri Iesu Christi.* Et illud: *Vobis datum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Et, *Gratiâ salvî facti estis per fidem, non ex vo-* Phil. 1. 6 & 29. Eph. 2. 8.

E bis; Dei

his; Dei enim donum est. Qui enim fidem, quā in Deum credimus, dicunt esse naturalem, omnes eos qui ab ecclesiā Christi alieni sunt, quodammodo fideles esse definiunt.

VI. Si quis sine gratiā Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri; non autem divinitus, ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem & inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur; aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adiutorium, nec ut obedientes & humiles simus ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, *Quid habes quod non accepisti? Et, Gratiā Dei sum id quod sum.*

VII. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare sicut expedit, aut eligere, sive salutari, id est, evangelizanti prædicationi consentire posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem* in consentiendo & credendo veritati, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in evangelio dicentis: *Sine me nihil potestis facere.* Et illud Apostoli: *Numquid idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis? sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Iohānes, 5.
1 Cor. 3, 5.

* Fortè legendum facultatem. Ceterum vocabulo suavitatis utitur etiam hac in re Augustinus libro de gratiā Christi, cap. XIII.

IX. Si quis alios misericordiā, alios verò per liberum arbitrium (quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum) ad gratiam baptismi posse venire contendit; à rectā fide probatur alienus. Is enim non omnium liberum arbitri-

bitrium per peccatum primi hominis asserit infirmatum, aut certe ita laesum putat, ut tamen quidam valeant, sine revelatione Dei, mysterium salutis aeternae per semetipsos conquirere. Quod quam sit contrarium, ipse Dominus probat, qui non aliquos, sed neminem ad se posse venire testatur, *nisi quem Pater attraxerit.* Sicut ^{Ioh. 6, 44} & Petro dicit: *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & sanguis* ^{Matt. 16, 17} *non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est.* Et Apostolus: *Nemo potest dicere Dominum Iesum Christum, nisi in* ^{1 Cor. 12, 3} *Spiritu sancto.*

XI. Divini est muneris, quum & rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate & injustitiâ continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur. Prosper sententiâ XXII.

X. Adjutorium Dei etiam renatis ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.

XI. Nemo quidquam Domino rectè voverit, nisi ab ipso acceperit, sicut legitur: *Quae de manu tuâ accepimus, damus tibi.* ^{1 Paral. 17, 14} Augustinus de Civitate Dei lib. XVII, ¹⁴

cap. IV. Prosper sententiâ LIV.

XII. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

Prosper sententiâ LVI.

XIII. Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi a quo potuit dari, non potest reddi. Unde ipsa veritas dicit: *Si vos filius liberaverit, tunc verè* ^{Ioh. 8, 36} *liberi eritis.* August. libro XIV de C. D. cap. XI.

XIV. Nullus miser de quacunque miseriâ liberatur, nisi qui Dei misericordiâ praevenitur, sicut dicit Psalmista: *Cito anticipet nos misericordia tua Domine.* Et ^{Psal. 79, 8} ^{59, 11}

illud:

illud: *Deus meus, misericordia eius praeveniet me.* Pro-
per sententiā CCXI.

XV. Ab eo, quod formavit Deus, mutatur Adam,
sed in peius per iniquitatem suam: ab eo quod operata
est iniquitas, mutatur fidelis, sed in melius per gratiam
Dei. Illa ergo mutatio fuit praevaricatoris primi; hæc,
Psal. 77, 11, secundum Psalmistam, mutatio dextera Excelsi.

Prosper sententiā CCXXV.

XVI. Nemo ex eo, quod videtur habere gloriatur,
tamquam non acceperit; aut ideo se putet accepisse,
quia litera extrinsecus, vel ut legitur, apparuit, vel ut
audiretur, sonuit. Nam sicut Apostolus dicit, *Si per le-*
gem iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Ascendens in al-
rum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. In-
de habet, quicumque habet. Quisquis autem inde se
habere negat, aut verè non habet, aut id quod habet,
auferetur ab eo.

XVII. Fortitudinem gentilium mundana cupiditas,
fortitudinem Christianorum Dei caritas facit, quæ *dis-*
fusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium,
sed *per spiritum sanctum, qui datus est nobis*, nullis meritis
gratiam praevenientibus. Prosper sententiā CCXCV.

XIIX. Debetur merces bonis operibus, si fiant;
sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut fiant.

Prosper sententiā CCXCVII.

XIX. Natura humana, etiam si in illâ integritate,
in quâ est condita, permaneret, nullo modo seipsam,
creatore suo non adjuvante, servaret. Vnde quum sine
gratiâ Dei salutem non possit custodire quam accepit,
quomodo sine Dei gratiâ poterit reparare, quod per-
didit? Aug. epistolâ CVI ante finem. Prosper sent. CCCIIX.

XX. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit ho-
mo.

mo. Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præ-
ster, ut faciat homo.

Augustinus libro II contra duas
epistolas Pelagianorum, cap. IIX. Prosper sen-
tentiâ CCCXII.

XXI. Sicut eis, qui volentes in lege justificari, & à
gratiâ exciderunt, verissimè dicit Apostolus, *Si ex lege* Gal. 2, in
iustitia est, ergo Christus gratis mortuus est; sic & his qui gra-
tiam, quam commendat & percipit fides Christi, putant
esse naturam, verissimè dicitur, *Si ex natura iustitia, ergo*
Christus gratis mortuus est. Iam hic enim erat lex, & non
justificabat; jam hic erat & natura, & non justificabat.
Ideo Christus non gratis mortuus est, ut & lex per il-
lum impleretur, qui dixit, *Non veni legem solvere, sed adim-* Matt. 5, 17.
plere; & natura per Adam perditâ, per illum repararetur,
qui dixit, *venisse se querere & salvare, quod perierat.* Luc. 19, 10.

Prosper sententiâ CCCXV.

XXII. Nemo habet de suo, nisi mendacium & pec-
catum. Si quis autem habet homo veritatem atque ju-
stitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac
eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati, non
deficiamus in viâ.

Augustinus Tractatu V in Iohannem.

Prosper sententiâ CCCXXIII.

XXIII. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei,
quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem
ita faciunt quod volunt, ut divinæ serviant voluntati,
quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen
voluntas est, à quo præparatur & jubetur quod volunt.

Augustinus Tractatu XIX in Iohannem. Prosper sen-
tentiâ CCCXXXIX.

XXIV. Ita sunt in vite palmites, ut viri nihil confe-
rant, sed inde accipiant, unde vivant. Sic quippe vitis
est in palmitibus, ut vitale alimentum subministret eis,

non sumat ab eis. Ac per hoc & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest, & non Christo. Nam præciso palmitē, potest de vivā radice alius pullulare. Qui autem præcisus est, non potest sine radice vivere.

Augustinus Tractatu XXCI in Iohannem. Prosper sententiā CCCLXIV.

XXV. Prorsus donum Dei est, diligere Deum. Ipse, ut diligeretur, dedit, qui non dilectus diligit. Displacentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. Diffundit enim caritatem in cordibus nostris Spiritus Patris & Filii, quem cum Patre amamus & Filio.

Augustinus Tractatu CII in Iohannem. Prosper sententiā CCCLXIX.

Ac sic secundum suprā scriptas sanctarum scripturarum sententias, vel antiquorum patrum definitiones, hoc, Deo propitiante, & prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis, ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum & misericordia divina præveniret. Vnde Abel iusto, & Noë, & Abraham, & Isaac, & omni antiquorum sanctorum multitudini illam præclaram fidem, quam in ipsorum laudem prædicat apostolus Paulus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, sed per gratiam Dei credimus fuisse collatam: quam gratiam, etiam post adventum Domini, omnibus qui baptizari desiderant, non in libero arbitrio haberi, sed in Christi novimus simul & credimus largitate conferri, secundum illud, quod jam suprā dictum est, & prædicat Paulus apostolus: *Vobis donatum est*

pro

Hebr. 11,

Phil. 1, 29
et 6.

pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo
patiamini. Et illud: Deus qui cepit in vobis bonum opus, per-
ficiet usque in diem Domini nostri. Et illud: Gratiā salvi facti Eph. 2, 8.
estis per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum est. Et
quod de seipso ait Apostolus: Misericordiam consequutus 1 Tim. 1, 13.
sum, ut fidelis essem. Non dixit, quia eram, sed, ut essem. Et
illud: Quid habes quod non accepisti? Et illud: Omne datum 1 Cor. 4, 7.
bonum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Iac. 1, 17.
patre luminum. Et illud: Nemo habet quidquam boni, nisi il- Ioh. 3, 27.
lud illi datum fuerit desuper. Innumerabilia sunt sancta-
rum scripturarum testimonia, quæ possint ad proban-
dam gratiam proferri: sed brevitatis studio prætermis-
sa sunt, quia & revera, cui pauca non sufficiunt, plura
non proderunt.

II. Hoc etiam secundum fidem catholicam cre-
dimus, quod accepta per baptismum gratiā omnes ba-
ptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salu-
rem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare
voluerint, adimplere.

III. Aliquos verò ad malum divinā potestate præ-
destinatos esse, non solum non credimus, sed etiam si
sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni de-
testatione illis ANATHEMA dicimus.

IV. Hoc etiam salubriter profiteamur & credi-
mus, quod in omni opere bono non nos incipimus, &
postea per Dei misericordiam adjuvamus: sed ipse no-
bis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & a-
morem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fi-
deliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adju-
torio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus. Un-
de manifestissimè credendum est, quod & illius latro-
nis,

nis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit, & Cornelii centurionis, ad quem angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de naturâ, sed divinæ largitatis donum.

Concilium Arausicanum secundum non fuisse habitum temporibus Leonis primi sive magni, episcopi Romani, sicut aliquando creditum fuit, sed anno demum 10 xxix eruditi viri pridem ostenderunt. Oppositum autem est illis, qui in Galliâ nonnulla Pelagianismo affinia proponerent & defenderent, & etiamsi necessitatem gratiæ non planè tollerent, tamen imminuerent, & initia quædam conversionis aliò referrent, atque adeo præviæ derogarent. Augustini autem doctrina Pelagianæ opposita passim in magno erat precio: & quæ necessitati gratiæ detraherent, non videbantur rectius elidi posse. quàm Augustini verbis. Quorum ut studiosus & tenax erat Prosper Aquitanicus, ita acriter contra Pelagium pugnavit, & sententiarum, quas congeisset, magnam partem ex Augustino depromsit, inprimis eas, quibus Pelagianus error jugularetur. Visum itaque fuit Arausicanis Patribus Pelagianas reliquias debellaturis, Augustini verba bene multa & Prosperi sententias, utpote ad rem maximè facientes adhibere: sicut ex annotatiunculis, quas Capitulis subiecimus, intelligere est. Observandum autem, anathemate non nisi tertiam epilogi particulam armari. Sed nobis etiam nostrum epilogum, quem ante sesquiannum hisce symbolis, confessionibus & declarationibus adjunximus, repetere lubet & apponere.



BENE.

BENEVOLO LECTORI

S. D.

GEORGIUS CALIXTVS.

 *Uæ hîc in usum studiosæ iuventutis dedi-
mus, Benevole lector, pro tuâ comitate bo-
ni ut consulas oro. Voluisssem jungi quæ
græca sunt & græcè exstant: sed typotheta
caussabatur brevitatem & obscuritatem
dierum brumalium non esse idoneam colligendis & con-
jungendis græcis typis. Potesst tamen fieri, ut brevi pro-
deat editio, quæ exhibeat non saltem antiquissima illa,
quæ hîc exstant latinè, singula suo idiomate, sed etiam
recentiores insequentarum synodorum confessiones com-
plectatur. Vnum adhuc addo. Fateor & profiteor,
me eos, qui baptizati in nomen Patris, Filii & Spiritus
sancti, fidem hætenus sive contractiùs sive prolixiùs
expositam sincerâ mente recipiunt & amplectuntur, &
interea abnegatâ impietate & mundanis cupiditatibus
temperanter, justè & piè vivunt in præsentè seculo, ex-
spectantes beatam spem & illustrem illum adventum glo-
riæ magni Dei ac servatoris nostri Iesu Christi; & etiam-
si ex erroribus aliquibus sese extricare nondum possint,
nullos tamen contra conscientiam suam adserunt aut de-
fendunt; hos, inquam, fateor me impulsam caritate, quâ
F Chri-*

Christum prosequor & prosequi teneor, hanc ipsam ob
causam, quod eum verum Deum verumque hominem &
redemptorem suum mecum agnoscunt, & una cum Patre
& Sancto spiritu venerantur & adorant, seque per eius
meritum & mortem servari credunt; hos, inquam, omnes
quocumque tandem tuis disceptans loco vel angulo, siue prope
siue procul fuerint, fateor ego & profiteor me caelestis
Patris & Ecclesiae catholicae filios agnoscere, & offero
eis amorem, benevolentiam, studia & officia, quae Chri-
stiani Christianis & filii unius ejusdemque patris sibi mu-
tuo debent, reapse demonstraturus affectum, quando-
cumque se obtulerit opportunitas, operam quoque quantam
umquam possim, daturus, ut eis errores, praesertim si pe-
riculosi sint, & dissidia alant vel stabiliant, eximantur,
& inter se animi fidelium Christi, remotis obstaculis,
germanam dilectione & fida communione uniantur. Cum
hoc animo, hoc desiderio, hoc studio coram Christo Do-
mino & Deo meo, venturo cum gloria vivosque & mor-
tuos iudicaturus, comparebo. Cum diverso vel contra-
rio adsit, meamque istam ~~deus~~, affectum & conatum
impietatis, atheismi, syncretismi & Samaritanismi ac-
cuset, cuicumque visum fuerit. Scripsi in academia Lu-
liam, anno MD C XLIX, die XIV Decem-
bris, natali meo LXVI.

es) o (es

DESI